



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

XI. Ne leuiter ecclesia absentis alteri conferatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

350 GREGORIVS C O N C I L I V M F R I D E R I C V S II. I. M. P.
P. IX. H E N R I C V S III. R. A N G L I E.

retineret : quo dante causam , edicto statuimus , vt
in tota vel in parte ad firmam alicui sub quocum-
que colore in beneficium conferatur : cassum &
inane fore penitus decernentes , si contra fuerit at-
tentatum.

X.

Ad vicariam statuimus nullum admittendum,
nisi iam presbyterum ordinatum , vel saltem dia-
conum in proximis quatuor temporibus ordinan-
dum , qui renuntians beneficiis aliis , si quæ habet
curam animarum habentia , iuret residentiam ibi fa-
cere , ac eam faciat continue corporalem : alioquin
institutionem illius fore nullam decernimus , & vi-
cariam alii conferendam . Sic eluditur illi dolo , quo
sæpe assignato alicui nomine personatus modico ,
simulate dabatur illi ecclesia sub ficto nomine vica-
riæ , qui timens alia beneficia perdere , metuebat
eam recipere ut persona . De iam institutis vero vi-
cariis , qui non sunt presbyteri , cum vicarii teneant-
tur personis & ecclesiis deseruire , statuendo præ-
cipimus , vt infra annum , ad minus , se faciant in
presbyteros ordinari: alioquin , si per eos steterit ,
quo minus infra annum ut diximus , ordinentur ,
eos extunc vicariis eisdem fore decernimus priua-
tos , & de residentia circa eos statuimus quod de
instituendis supra diximus statuendum.

X I.

Ad elidendum fallacias iniquorum , sagaci est
studio laborandum cuilibet iustitiæ amatori , ne si
torpescat rectorum industria , simplicitas a veritu-
tia supplantetur , & succumbat veritas falsitati . Sa-

ANNO
CHRISTI
1157.

ne relatione accepimus plurium , quod quidam in absentis beneficium oculos iacentes , nouos fingentes rumores , afferunt se audisse mortuum esse , vel beneficium resignasse beneficii possessorem , sicque procurant in istud beneficium quomodo libet se intrudi : & si forsitan reuiuiscens qui mortuus fuerat ad suam ecclesiam reuertatur , Nescio te frater , respondeatur eidem , & clauditur ianua contra eum . Nonnulli etiam nimia cupiditate cæcati , non solum in absentium beneficium , sed etiam in præsentium clanculo irrumpere , vel vbi cumque possunt ea inuadere non formidant : & , cum intro fuerint , nec prosunt sententiæ , nec aliquid quo valeant mitti foras , quoniam armorum potentia se defendunt . In vtroque igitur articulo remedium quale possumus adhibentes , statuimus distictius , prohibentes ne prætextu opinionis vel famæ , quæ de morte vel de cessione habeatur absentis , eius beneficium aliquatenus conferatur : sed prælatus , donec plenius de alterutro instruatur , expectet . Alioquin ad resarcendum omne damnum ex hoc infictum absenti eum fore decernimus obligatum , & illum qui se procurauit intrudi , præter restitutionem bonorum , officio beneficio que suspensum protinus ipso facto : quod & ad illum extendi volumus qui beneficium ecclesiasticum altero possidente auctoritate propria , vel potius vi , vel clam , occupare præsumit ; vel , postquam declaratum fuerit ad alium pertinere , armis se defendere nititur in eodem .